

The Electronic Manipulus florum
www.manipulusflorum.com

Secularis c
cum fonte primo

Sicut homo graues habens oculos

melius in loco tenebroso
quam in sole positus uidet,

sic homo terrenus
in terrenis

est astutus

et in spiritualibus cecus.

Crisostomus super illud Matthei VI.: Si
lumen quod in te est.

Sicut enim qui graves oculos habet,
si ponas eum in aliquo obscuro
tenebrosoque loco, melius
videt: si autem ponas eum in sole,
nihil videt, quia oculus ejus non suffert
solis candorem:

sic homo mundialis,
qui oculum, id est, mentem terrenis
desideriis sordidam habet, et
turbulentam, si ponas eum in rebus
mundialibus, sapit et astutus est:
si autem trahas eum
ad res spirituales, tenebrescit,
ac nihil sapit, quia mens illius desideriiis
corrupta terrenis justitiae bonum non
sentit.

Pseudo-Chrysostomus, *Opus
imperfectum in Matthaem*, 15 (PG 56,
col.720-1).